

www.e-rara.ch

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei
Demonstratio**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo

Antverpiæ, M. DC. XI.

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput V. Quis possit indulgentias concedere?

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Quis possit Indulgentias concedere?

C A P V T V.

VT Indulgentia rata sit, duo requiruntur ex parte concedentis: auctoritas legitima, & causa. Auctoritatem requiri, extra controuersiam est: nam absolvere, vel ligare non potest, nisi is, qui iurisdictionem habet: indulgentias autem dare, absolvere est. Præterea; Distribuire communia bona non potest nisi Magistratus, vel Princeps, cui honorum communium administratio commissa est, & dispensatio credita: Indulgentiæ verò, præter absolutio- nem, continent etiam applicationem thesauri spiritualis. Porro auctoritas hæc potissimum residet in summo Pontif. ac propterea potest ipse indulgentias etiam plenarias omnibus fidelibus elargiri. De qua re nulla dissensio est. Nam constat Apostolo Petro, cui summus Pontif. succedit, proptè dictum esse à Domino: *Quodcunque solueris, &c.* Deinde, constat ex iure Canonico, in summo Pontifice ad indulgentias concedendas esse plenitudinem potestatis. Denique, constat ex re ipsa, summos Pontif. frequentissimè indulgentias plenarias concessisse.

*Matth. 16.
6. Cum ex eo,
de pœnitent.
& remiss.*

De Episcopis, & Metropolitanis res est etiam extra controuersiam, posse illos in sua diœcesi, istos in sua prouincia indulgentias tribuere: sic tamen vt indulgentiam vnus anni in dedicatione Ecclesiæ, vel 40. dierum alijs temporibus de iniunctis pœnitentijs non excedant. Nec minus certum est, non requiri potestatem ordinis, sed solum potestatem iurisdictionis ad indulgentias concedendas: proinde poterit Pontif. Max. vel Episcopus indulgentias concedere, etiam si nondum sit sacris ordinibus insignitus. Neque amittitur hæc potestas per peccatum lethale.

*In 4. dist. 20.
9. 4. ar. 2.
De lubil.
notab. 31.
num. 17.*

De Legatis Apostolicis, posse eos concedere ex commissione speciali, vel generali summi Pontif. indulgentias in omni loco, ad quem sua legatio se extendit, nemo dubitat. Summum Pœnitentiarium posse concedere centum dierum indulgentias, testatur Petrus Palud. Quod idem de alijs Cardinalibus testatur Nauarrus: quamuis id magis consuetudine, quam lege nitatur. Atq; hæc quidem videntur esse certa, & rata.

Ess. 4.

Primum autem quæri potest de Concilio generali: an possit plenarias indulgentias dare? Quamuis verò neminem legerim, qui expressè doceat, Concilium generale non posse indulgentias dare; tamen videntur ita sentire Doct. qui scribunt, ad summum Pontif. solum spectare potestatem indulgentias concedendi plenarias, & de Concilio generali nihil dicunt. Nam nullum huius rei exemplum habemus, nisi Concilij Basileensis: quod Concilium eo tempore erat schismaticum, neque eius decreta, & multò minus exempla, certam

certam fidem faciunt. Concilium autem Constantiense propè finem indulgè- *Sess. 17.*
tias concedit non plenarias, sed solum 100. vel 40. dierum: quod rectè po-
terat facere, cum in eo Concilio non solum essent multi Episcopi, & Archi-
episcopi, sed etiam Cardinales.

Præterea; Concilium generale, secluso Papa, non habet Papalem auctori-
tem, nec formaliter, nec eminenter, nec vlllo alio modo. Non igitur potest
Concilium, secluso Papa, ea facere, quæ propriè ad summum Pont. pertinēt,
sed ea solum, ad quæ se extendit Episcopalis auctoritas. Constat autem non
posse Episcopos, etiam multos simul coniunctos, indulgentiam dare, nisi
vnius anni, vel 40. dierum.

Altera dubitatio est de Iure, quo Episcopi possunt indulgètias elargiri. Ali-
qui enim existimant, Episc. iure diuino id posse: alij negant. Sed hæc quæstio
ex alia pender: *Vtrum iurisdictionem accipiant Episcopi à Deo immediate; an verò per
summum Pontificem?* Existimamus autem, Episc. à summo Pont. iurisdictionem
omnem, ac per hoc potestatem indulgentias conferendi accipere. Cuius rei
argumentum est, quòd videamus à summo Pont. restrictam, & limitatam
Episcopis hanc potestatem fuisse: neque dubium est, quin ab eodem penitus
tollì, vel etiam augeri, & extendi possit. Quòd si à Deo immediate illam ha-
berent, posset quidem summus Pont. interdicare illis vsum eius potestatis; ta-
men si obstinatè ea vti vellent, non posset summus Pont. impedire, quòd mi-
nus ratum esset, quòd illi fecissent. Sicut cum summis Pont. interdicit alicui
Episc. ne vtratur facultate, quam habet à Deo conferendi Sacram. Confir-
mationis, vel Ordinis, peccat quidem Episc. non obtemperans Pont. Max.
tamen collatio illa Sacram. Confirmationis, vel Ordinis rata est.

3. Dubitatio est de Abbatibus, Parochis, alijsque Sacerdotibus; *an possint in-
dulgètias tribuere?* At sententia communis docet, nullos omnino Sacerdo-
tes Episcopis inferiores posse iure communi tribuere indulgentias; sed solum
ex commissione summi Pont. vel Episc. Extat enim de hac re expreſsus tex-
tus iuris. Præterea; S. Thomas pulchrè docet, nullos esse absolutè Prælatos,
nisi Episcopos. Ipsi enim sunt rectores integri populi, & quasi Reges in par-
uo regno; atque ita præſunt hominibus omnium ordinum, ætatum, sexuum,
conditionum. Abbates autem sunt quasi patres vnius familia; & domus, &
præſunt solis Monachis. Parochi quoque non præſunt, nisi vni parochia, qua-
si vni familia. Potestas autem dispensandi thesaurum Ecclesia non conuenit,
nisi veris Prælatiſ, qui sunt Principes populi Dei.

*c. Accidenti-
bus, de excessi-
Prælatorum.
lib. 4. dist. 20.
q. 1. ar. 4.*